



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE QUONIAM CONSCII APUD CIVITATEM DOMINICAE
APOSTOLICA EXCITATUR NUNTIATURA Ad perpetuam rei memoriam. – Quoniam conscii quidem Nobis universalis
Nostri muneris procurandi hominum cunctorum salutem aeternam sedulo conferimus animi studium apostolatusque opus
ad tutanda religionis ipsius ac societatis civilis bona per orbem terrarum, idcirco etiam dedita opera consuetudinem
Apostolicae Sedis observamus, qua varus ea in Nationibus iam pridem curavit legationes suas et Nuntiaturas
constituendas unde publicae coniunctionis vincula inter eas Civitates ac Sedem Apostolicam contracta roborarentur
immo et magis usque prosperarentur in utriusque profecto partis emolumentum. Hac eadem de causa nunc ipsum ex
consilio Sacrae Congregationis pro Gentium Evangelizatione, cuius est Nobis omnino probata sententia, de Apostolicae
potestatis Nostrae plenitudine ac Litterarum harum virtute Nuntiaturam Apostolicam in civitate Dominica legitime
condimus cuius rite sedes ibidem collocabitur. Ad novam vero hanc Nuntiaturam, uti addecet, singula officia deferimus
ne non iura privilegia et indulta quae ad tales Apostolicae Sedis pertinent Legationes. Quae demum his Litteris ediximus
statuimusque praeterea decernimus ut vim suam tam nunc quam tunc exserant. Contrariis rebus ne utquam
adversantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die I mensis Septembris anno MCMLXXXI,
Pontificatus Nostri tertio.* **AUGUSTINUS Card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis** © Copyright 1981 -
Libreria Editrice Vaticana
